

MEISNE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio vigesima Octava,

De

Præsentatione CHRISTI

ET

Purificatione B. Virginis Mariæ.

QUAM

Annunte Θεανθεώπω

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum

proponit

M. ANDREAS Berrenschmidt

Ulmenfis.

Habebitur ad diem 26. Septemb. horis pome-

ridianis

In auditorio minori.

WITEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat,

Anno cl. 15 CXIX.



*Nobilissimo, Amplissimo & Con-
sultissimo Viro*

Dn. LEONI Krafft/

Jurisconsulto celeberrimo,

Reipublicæ Ulmanæ Syn-
dico meritissimo;

U T E T

Nobilissimo, Prudentissimoq̃

Dn. HEINRICO Krafft/

Senatori ibidem dignif-
simo;

*Mecænatibus & Promotoribus
suis reverenter colendis*

Inscribit hanc *ΔίεσηΨ*
Theologicam

Respondens,

CONTINUATIO.

E Sau fratri ira ira accenso, ut
 quadringentis armatis, internecionem
 Germani sui, Iacobi anhelaret, Patri-
 archa tribus occurrere voluit turmis,
 quarum duarum priorum dono flecte-
 retur, ultima vero, quæ suavissimam Rachelem,
 mellitumq; Iosephum contineret, commiseratione,
 à violentia sese abstinens, commoveretur. DEVS
 Maximus, ob protoplastarum peccatum nobis in-
 fensus, naturâ quippe iræ filij sumus, muneribus vi-
 debatur ante legem flecti & in lege per holocausta
 moveri, neutrum tamen horum per se satis arri-
 debat, donec terriâ mundi ætate post legem, beatif-
 sima virgo, unigenitum filium unici parentis, in
 templo offerret. Vt igitur Esavus non reconciliaba-
 tur fratri, usq; dum amicæ ejus collum invasisset,
 omnia ei offerentis, etiam liberos suos donantis: ita
 DEVS nec Abelem respexisset, nec Pontificum labo-
 res victimasq; acceptasset, nisi ultimis temporibus
 hæc omnia, presentatione filij confirmata fuis-
 sent. Non itaq; crepundia sunt, quæ Spiritus san-
 ctus de ea annotare voluit, neq; puerperij Mariæ
 complementum, naniarum quid habet aut anile,
 sed quæ meditationem merentur acrem & piam,
 quam disputatis jam eis, quæ antecesserant obla-
 tionem & purificationem hanc, Christo favente
 ita disponemus, ut 1. presentationi Christi inter-
 esse cupiamus, 2. purificationem matris pensi-
 taturi,

tāturi, filium sanctissimi Luca sequentes, medi-
tatiunculā practica, utrumq; thema conclusuri.

THESIS I.

CAP. I.

Ægyptij, qui populum DEI tanquam primo-
genitum ejus, quem solum ex omnibus elegerat,
varijs afficiebant calamitatibus, suos primogenitos
amiserat, gladio circumventis angeli pereunte, qui
post Pharaonem sedere debebat in throno regio &
in qualibet domo primū edito, necato.

II. Iudæi hac ratione liberati à miseria aliquot
secula exantlatā, servatis quoq; primogenitis in
hac luculentā clade, in rei tantæ memoriam, pri-
mogenitos post suos ex lege DEO consecrare tene-
bantur.

III. Πρωτότοκον & omnium creaturarum Chri-
stus, qui est ex semine Davidis, Rom. 1. v. 3. hanc
conditionem quoq; partim ut ab angelo interse-
ctore nos liberaret, partim vero exemplum obe-
dientie nobis præberet, suscipere in se & sustinere
mirandā humilitate voluit.

III. Offerri autem Domino primogeniti debebant,
Christus quoq; idem præstitit, cujus præsentatio-
nem Evangelista descripturus, duobus membris
rem expedit, quorum priori infans ad templum
deducitur, posteriori à Simeone excipitur.

IV. Illud quod attinet, mentio fit, i. adducentium.
De Maria res certa est, at cum ea Iosephus ade-
rat, quippe tutor Christi constitutus, quo etiam

in iii-

in itinere hoc opus fuisse omnino credibile est.

2. Loci, qui est Hierosolyma, metropolis Iudææ, electa in habitaculum DEI, 1. Reg. v. 1. civitas Regis magni Matth. 5. v. 35. ad hoc edificata, ut illuc ascenderent tribus, tribus Iah, ad celebrandum nomen Iehovæ, Psal. 122 v. 4.

V. 3. Adjicitur causa finalis, adduxerunt Christum ἡγουσάτωσιν κυρίου, quod verbum Erasmus veritè commendare, in quo tamen significatu an legatur Beza ambigit. Convenientius per τὸ sistere redditur, prout etiam B. Chemnitio placet, l. 1. harm. p. 230.

VI. Hujus actionis autem fundamentum lex erat, Exod. 13. v. 2. & 15. promulgata, quam etiam Evangelista allegat. Ita autem decrevit supremus legislator: Sanctifica mihi omne primogenitum, quicquid aperit vulvam in filiis Israël, tam in hominibus quam in jumentis, meum enim est.

VII. Primogeniti autem qui roboris principium & fortitudo, Gen. 49. v. 3. dicuntur, sanctificari non potuissent, nisi omnium creaturarum primogenitum, Christus se hanc oblationem sanctificasset. Is n. sanctificare se pro nobis dicitur, Joh. 16. 19. & λύτρωσιν dare pro multis animam suam, Matth. 20. v. 28.

VIII. Omnis enim lex cum figura sit illius, qui legisatisfactorus erat, hæc quoque primogenitorum oblatio & presentatio in Christo complenda erat.

Significatum autem fuerat Exod. 12. vers. 12. omnes primogenitos, etiam præstantissimos, ab angelo vastatore debere interiri, nisi unus aliquis primogenitus figuratus per sacerdotium Leviticum, se Domino sanctificet, eosq; redimeret. Num. 18. v. 15.

IX. Cæterum cum insuper à primogenito cæteri fratres tanquam Domino penderent, fortunas suas ab eo habebant, ut ex Genes. 27. 36. deduci facile potest, unde $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa$, excellentia dignitatis, Gen. 49. v. 3. dicitur Christus: verus & Mariæ & creaturarum primogenitus, per figuram Israëlitarum significatus, facit, ut nos fratres ejus, heredes efficeremur DEI, & coheredes Christi, Rom. 8, v. 29. unde quoq; B. Chemnitius docet, l. 5. c. quod primogeniti appellatio Messie non typicè modò, sed etiam expressè tribuatur, Psal. 89. v. 28. Ebr. 1, 6.

X. Licet ergò Christus Dominus legis, à Spiritu sancto conceptus, Patris DEI dilectus filius, hac sanctificat̃ oblatione non indigebat, nihilominus ex his, quæ posita sunt rationes hujus presentationis facile reddi possunt & illis aliæ plures addi, impresentiarum sequentes sufficientiant.

XI. Sistebatur itaq; Christus Domino 1. quia primogenitus. Lex autem jubet primogenitum DEO consecrare. 2. quia ex semine Davidis, Rom. 1. v. 3. hinc quia non dedignatus est carnem nostram, & ipsi

2.
2-
is
3-
l.
vi
as
8-
ia
us
t-
es
i-
t,
n-
7-
u
6
is
-
i,
i-
O
r.
s,
fi

& ipsi placuerit ex Patribus nasci, quòd illis, qui ex
ijsdem provenirent, obtigit, ipse quoq; prestare vo-
luit. 3. ut typum compleret, contestaturus se esse
illum primogenitum, qui signatus V. T. significaba-
tur, qui scil. se velit sanctificare Domino victima
corporis sui, ut nos redimamur. 4. quia ille est pri-
mogenitus, cui pater dedit hereditatem terminos
terre, Psal. 2. v. 8. postulat ergò hic gentes here-
ditatem suam, ut propter illum nobis decur pote-
stas filios DEI fieri. Joan. 1. v. 12.

XII, Quia & 5. cum erat sacerdos verè summus, ex
tribu tamen Iudæ, quòd Levitas labore posthac illo
sublevaret, sacerdotalis officij sui initium facturus
erat, ut fieret redemptio pro omnibus, finemq; ob-
latione suâ, post in cruce complendâ sacrificio-
rum in sanguine hircorum prestitorum faceret.

XIII. Quod si quis 6. parentum quoq; causâ hanc
oblationem peractam fuisse, asserat, quos mo-
vere voluerit, ut suos liberos donum DEI.
Psal. 128. Domino suo exemplo sisterent, tantum
abest ut aberret, ut potius rationes oblationis
Christi adaugeat.

XIV. Desideret hic quispiam, quinq; illos siclos,
quorum mentio non fit, qui pro primogenitis sa-
cerdotibus numerabantur, & ita ob hoc aliam præ-
sentationem inferri posse æstimet, de quibus Nu-
mer. 18. v. 16. illi respondemus, quod cum certâ
obligatione Christus oblatus sit, scil. daturum ani-
mam suam λύτρον pro multis.

A 4

XV. Nul-

XV. Nullam autem passi sunt Levitæ jacturam in eo, dum remittebant quinq³ illi siclos, qui sanguine Filij DEI per vulnera quinq³ largiter hoc compensabat, neq³ conveniens erat ab eo exigi pecuniam, qui semetipsum traditurus esset cum hujus præstantia, illius tenuitatem facile resarciat.

XVI. Neq³ ex cap. 2. Luc. v. 27. contra nos aliquid obtinetur, quod ejus causa facturi essent ea ex lege, quæ consueverant, quippe quæ legis sunt, jam præstitit, oblatus enim est & sanctissimus, ut nos sanctificaret præsentatus, defectum suorum, sapienti consilio in cruce remuneraturus.

XVII. Verum non sine insigni quodam gaudio exripiebatur, jam per tot secula expectatus & desideratus, quemadmodum neq³ egregio testimonio desituebatur, hoc enim piissimi ipsi in templo homines Simeon scilicet & Hanna præbebant, quorum illius tripudium & religiosus amplexus, festo illi diei, quo purificationis memoria celebratur, titulum festi exceptionis Christi, sic Iustiniano Imperatore indigitante, acquisivit.

XVIII. Altius autem hanc exceptionem pensitabimus. Rem levem hic non peragi Evangelista solenni in solennibus particula Ecce indicat. Ecce, inquit, erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, eratq³ homo iste justus ac religiosus, expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat super eum, &c.

XIX. Quis hic Simeon fuerit, an, ut Lira vult, aliquis ex collegio sacerdotum, quia benedixisse puero & parentibus dicitur, quod ad officium filiorum Aa-
ron

non pertinebat, Num. 6, 23. aut sacerdos summus;
an aliquis ex 70. Interpp. dubitari posset.

XX. Prima sanè sententia nulla est, quippe nō sequitur: Qui benedicit, ille sacerdos est. Nam 1. Reg. 8. v. 14. Salomon rex benedixisse dicitur, quem tamen Sacerdotem non fuisse abundè constat. Insuper quod hic contigit, peculiari Spiritus sancti impulsu factum est, prout ex historiâ Evangelicâ doceri potest. Imò qui fit, quòd usitatam formulam benedictionis Num. 6, v. 23. non retineat?

XXI. Isti supputatione neglectâ falsi sunt, cum Simeon cognomento iustus, summus Pontifex ante Christum annis amplius ducentis fuerit. Quare Theophylacti observatio momento non caret, quam ex Luca verbis, Erat homo quidam, summus Pontificem Simeonem non fuisse colligit.

XXII. Hos quoad attinet ferunt, fuisse Simeonem unum ex collegio septuaginta duorum Interpretum, qui Esaie locum c. 7. Virgo pariet filium, interpretaturus, dubitabat, multumq; de possibilitate illius partus ambigebat. Ibi dicunt Spiritum sanctum ipsi pollicitum esse, se moriturum non esse, nisi prius huius prophetie complementum viderit, hinc usq; ad tempus oblationis maximo cum desiderio, salutarem consolationem Israëlis expectasse, narrant.

XXIII. Verùm suavius hæc dici, probari non ita facile posse, in propatulo est. Nos Petri Galatini sententiam retinemus, qui censet, hunc

A 5

Simeo-

Simeonem fuisse filium Ionathæ (qui autor Chaldaica paraphraseos, quæ Thargum Ionathæ dicitur, qui & auditor Hillelis) præceptorem Gamalielis: qui unus fuit ex præcipuis Synedrj, ut ex Act. 5. v. 34. constat. Supputatio temporis hoc ut credamus facit, quæ Simeonem, quem Lucas describit, præceptorem Gamalielis constituit.

XXIV. Quod si quis Rabinos nobis contradicere dicat, non absterrebit nos, quippe quanta confusio in eorum libris sit, luce diuina clarius est, & si de parte hac controversiæ hujus porro ambigere velit, ut evidenter nobis contrarium ostendat, quaesumus.

XXV. Nec mirum videri debet, voluisse DEVM à tam illustri viro, de filio suo testimonium dici, cum Pastoribus & Magis ante innotuerit tanquam tenuioribus apud Iudeos, à quibus plerumq; initium sapiens Majestas divina facit, quamvis ordinis eminentia non excludat Simeonem à numero parvulorum, quibus Evangelij adyta referuntur.

XXVI. DEVS ceritè *ωρασωποληνης* non est, non attendit pastorem neq; sacerdotem, justus suâ fide vivit, sive ex magnatibus, sive mediocribus sive minimis sit. Exempla plura sunt, quæ docent etiam ex synedrj viris regnum cælorum fuisse reclusum. Videatur Ioan. c. 3, v. 1. c. 19, v. 39. Act. 5, v. 34. Mar. 5, v. 22. Act. 18, v. 17.

XXVII. Describitur autem à triplici adjuncto Simeon noster, 1. justitiæ, 2. religiositatis, 3. spei: quibus fides in religione, charitas in justitiâ, spes in expe-

expectatione depingitur, adeoque, sive sic sive aliter
attributa illa explicemus, non sine probabilitate,
virtutum egregium systema hic nobis proponi,
aestimamus.

XXIIX. Si quis autem iustitiam fidei hic intelli-
gat notari, quâ apprehendit Simeon Messiam
presentem, qui nostra iustitia est, Jerem. 23. v. 6.
c. 33. 16. idem de eo sentiet, quod sanctissimus Apo-
stolus Rom. 4. v. 3. dicit de patre credentium Abra-
hama, nempe quod crediderit. Et hoc impuratum ei
fuisse ad iustitiam, adeoque, fidei vis à justificatione,
illustri hoc exemplo elucescit.

XXIX. Dicitur 2. εὐλαβῆς, quo alij timoratum,
alij religiosum intelligi dicunt. Verum accurate-
tius inquirentes in vim vocis dicunt, εὐλαβία
notare sollicitudinem timori conjunctam cum re-
verentia, ne pravè agendo, illum, quem revere-
mur, offendamus, quemadmodum ex B. Chemni-
tio Dn. D. V. Vinckelmannus t. 4. Giess. disput. 20.
th. 6. explicat & ex Græcis probat.

XXX. Et sanè fides sine fructu non est, quippe re-
verentiam annititur praeferre illi, in quo fiducia
posita est, eum maximi aestimans, scilicet in quo
quieta esse in quovis turbine esse potest, eum, qui
fide caret, ob inconstantiam mentis & fluctus ani-
mi refragari, & hinc inde agitari solet.

XXXI. Hinc timor ejusmodi p̄ys necessarius colligi-
tur ex Rom. 11, 20. & ibidem imperatur, ut &
Psal. 2, 11. ab utilitate, Phil. 2, 12. Ebr. 4, 1. &
passim alibi commendatur.

XXXII. Galei insuper salutis pientissimus noster
senex communitus dicitur fuisse, dum anxie salu-
vare Israël sperabat. Egregia in Christo hæc
virtutum harmonia est, ubi datur fides in DEVM,
reverentia erga DEVM & spes de DEO. Docet
illa animi beatitatem, ista voluntatis promptitu-
dinem, hæc pij appetitus desiderium. Illa DEVM
ut Patrem, ista ut Dominum respicit, hæc ut Do-
minum DEVM appetit.

XXXIII. Hæ virtutes Simeoni cum alijs pijs suere
communes, peculiare est, quod dicitur, Spiritum
sanctum fuisse ἐν αὐτῷ, non ut vulgata in illo-
quavis si hoc retineatur, figura dictionis erit:
si illud, peculiaria & extraordinaria dona & mo-
tus sanctos sancti Spiritus docet, ut ex Esai. 61, 1.
Num. 11, 26. Jud. 11, 29. 1. Sam. 10, 10 & c. 19.
v. 23. apparet.

XXXIV. Si quis querat, quomodo Spiritus sanctus
in anima justi sit, cum sese ipsum per omnes partes
mundi insinuet, & virtute presentiaq; suâ orbem
totum repleat, illi respondebit Paulus Granatensis
conc. 2. de festo purific. p. 159. per dona & commu-
nionem sui.

XXXV. Quod si fermentum Pontificium de infu-
sa justitia non infundas, verè dici illud inde, quod
templa Spiritus S. 1. Cor. 6. dicamur, constat, &
Johan. 14. ejusmodi inhabitatio sanctè creden-
tibus promittatur.

XXXVI. Promiserat autem Spiritus sanctus Si-
meoni, se tam diu victurum, usq; dum viderit Mes-
siant.

fiam. Hujus ergo ductu in templum ascendit, & pia devotione desideratum Siloh in ulnas suas accipit, tanto gaudio repletus, ut post tantam beatitudinem superesse noluerit, sed dimitti, ut servus Domini humiliter & gratè petat, satis felicem se esse ratus, quòd illud viderit, quod Prophetis & Patriarchis & Regibus eo modo concessum non fuerat.

XXXVII. Christum hunc suum dum $\sigma\omega\tau\eta\epsilon\iota\omicron\nu$ vocat, majoris eum conditionis estimat, & nos qui Iesum verum DEVM credimus, non parum hinc in fide nostra confirmari arbitramur, quæ ex hoc quoq; attributo divinitatem Christi sibi contra Photinismum persuadet.

XXXVIII. Hoc salutare dum paratum ait, ante faciem populorum omnium, respicit ad Esai. c. 52. v. 10. & II, v. 10. & 49, 16. Dum lumen, ex Esai. 42, 16. 49. v. 6. 60. v. 1. repetit. Est autem lumen 1. ratione doctrine, Psal. 119. v. 105. 2. ratione applicationis, Luc. 1, 79. 3. ratione renovationis, 2. Cor. 3, 18. & tandem in extremo iudicio lumen erit, Apoc. 22, 5.

XXXIX. Sed dimittamus Simeonem, revertamur ad Mariam, quæ purificationis dies, iterum vi legis, sustinuisse dicitur, deinde obtulisse parvulum, lege ita volente narratur.

XL. Observationem meretur illud, quod in antiquis codd. habeatur, $\delta\tau\epsilon\ \epsilon\pi\acute{\eta}\lambda\theta\eta\sigma\alpha\nu\ \alpha\iota\ \eta\mu\epsilon\rho\alpha\iota\ \xi\alpha\theta\alpha\rho\acute{\iota}\sigma\mu\epsilon\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\omega\upsilon\upsilon$, unde quæ hic sunt, etiam
Chri-

Christum attinere nonnulli dicunt, & eam quoque
sententiam Reverendo & Excell. Dn. Præsidi &
Præceptoris meo non displicere in concione festi hu-
jus diei anno 1616. habita, me audire memini.

XLII. Non autem putandum vel Mariam vel Chri-
stum hac purificatione eguisse, illa enim à Spiritu
sancto concepit, hic sine peccato fuisse creatura fir-
missimè, quis enim ipsum de peccato arguere un-
quam ausus erat?

XLIII. Noluic autem beata virgo legi Lev. 12. v. 2.
propositæ se subducere, ne offendiculum præberet,
multa quidem licent 1. Cor. 6, 10. non autem
omnia profunt & edificant. Christus autem ic-
circo, ut fœdissimi peccati Originalis purgandi
omni tempore in nobis reliquias ostenderet, adeoque
non esse rem indifferentem docet.

XLIV. Nulla quidem puerpera propter partum
impura est, sed DEVS lege hac ostendit etiam con-
cessa nobis opera impuritate non carere, adeoque
peccato semper commaculari.

XLV. Qui 33. tantum dies purificationis nume-
rant, addere debebant adhuc 7. textu ita monen-
te, nos enim 40. dies supputamus.

XLVI. Oblatio turturum non facta est pro genere
humano, ut quidam volunt, interim mysterio non
caret. Turtures enim offerebantur à Maria ob hu-
militatem, quæ paupertinæ conditionis licet fue-
rit, tamen à magis tantum accepit, ut agnum pro
hostia daret, quæ tamen verum agnum Filium

DEI

DEI se adducere credidit, & ne frustra ince-
pisset legi se submittere, quod Lex alibi exigit,
prestat.

XLV. An autem oblatio hac facta fuerit pro so-
bole, Augustinus disquirat q. 40. in Levit. & affir-
mativam suam ex malâ distinctione confirmat,
unde hac in parte ab eo dissentire nos posse salvâ
tanti viri auctoritate statuimus.

XLVI. An autem purificatio Mariæ purgatio à
profluvio sanguinis fuerit, non videtur posse affir-
mari. Polanus quidem l. 6. synt. c. 17. f. 38. col. E.
pro affirmante pugnat, at ex falsâ hypothesis, quasi
aperto utero pepererit semper - virgo beatissima.
Nos quæ pro eo inde deduci possent conflictui reser-
vamus.

XLVII. Omnium pessimè autem abusus est, memo-
ria huius sancti operis, Pontifex Romanus, qui
idololatricâ sententiâ purificationis diem deturpat,
& contra institutum & mentem auctoris comma-
culat. Non enim Iustinianus voluit cereas cande-
las lustrari hoc die, quæ moriturorum manibus in-
seruntur, quasi luce hac transaturi essent in eter-
nam vitam, dum ipsos affantur:

Nimm das Recht in deine Hand!


Und wandel hin ins Vaterland.


XLVIII. Durando neq; hic fides habenda, qui cu-
pit hac die Mariam invocandam esse, & candelis
honorandam, ut quemadmodum Februa olim
Martis mater ardentibus celebrabatur facibus, quo
à filio

à filio Romanis impetraret in bello felicitatem, ita
Maria apud Christum pro nobis intercederet.
Quamvis enim ethnicae superstitiones laudemus
mutari in veram religionem, non tamen in dete-
riorem idololatriam, quam sacra Scriptura dete-
statur, transitus fieri debet. Verùm Sergij, qui os
porci dicebatur, hoc inventum dicitur esse qui sanè
suillo rostro hoc superstitionis stercus effodit, cujus
nos participes esse pietas in DEVM & religionis
puras vetat.

Tu verò anima mea in Patre Domino
nostro, in Christo nos præsentato accipi-
ente perpende misericordiam, in Jesulo
obedientiam, in Simeone alacritatem ad
mortem, in virgine humilitatem. Illam
hymno celebremus, istius recordabimur
dum erimus, Simeone præceptore gau-
demus, ad puri cordis humilitatem nos
præparabimus. Sit Simeoni & Maria in
æterna benedictione, Patri & Filio æterna
laus & gratiarum actio, quam una
cum Spiritu sancto ô sanctis-
sima Trinitas à nobis
accipe.

F I N I S.





Farbkarte #13

B.I.G.



OLOGIAS SACRÆ
 io vigesima Octava,
 De
 atione CHRISTI
 ET
 ne B. Virginis Mariæ.
 Quam
 uente Θεανθρώπων
 VB PRÆSIDIO
 H ASARIS MEISNERI
 Theol. D. & P. P.
 Collegio ad disputandum
 proponit
 REAS Herrenschmidt
 Ulmenfis.
 diem 26. Septemb. horis pome-
 ridianis
 auditorio minori.
 ITEBERGÆ
 s Gorman excudebat,
 mo cl. 15 CXIX.

